

strinxisse. Theologi Helmstadienses, ait, ita corpus Julium totum pro norma docendi & loquendi habent, ut primo loco Scripturam S. deinde Antiqua Symbola & Confessiones, tertio August. Confessionem, & tandem post illa hanc Confessionem (Julii & Wilhelmi) collocent, & semper juxta prius posterius explicent, non prius juxta posterius. Unde etiam eo ordine non alio ei se juramento obstrinxerunt. vid. ejusd. Repetit. de Necess. B. Opp. p. 193. seq. & ante p. 138. l. c. talia produxerat: Hæc demum est vera Norma comprimis (loquitur de Scriptura S.) ad quam controversæ omnes doctrina examinantur. Si quid autem illi statuunt (Imperatores & Principes in symb.) utut valde laudabile sit, semper cum hac EXCEPTIONE recipitur: QVATENUS verbo divino non adversantur, ut notum est. Jam autem sententia nostra tot disertis Scripturæ S. dictis, tanto consensu antiquæ Ecclesiæ, adstipulantibus etiam recentioribus Dd. & F. C. addictis, consentanea est, ut comprobavimus: B. Hulsemannus vocat hoc, nota probe, effræne falsiloquium l. c. p. 112.) Ergo vera est. Et illa de Electorum & Principum autoritate frustra allegantur. Nec enim illa huic rei firmanda facit, nisi QVATENUS verbo divino & veteri doctrinæ concordat. His potest jungi Zanchius, cujus exemplum præc. cap. proximo § 13. adduximus.

§. IV. Objiciunt I. ii, qui in genere totum oppugnant:

(a.) Magistratui curam duntaxat externi religionis exercitii competere; conscientiam vero DEO sartam retinendam in solidum, cui tamen dominaturus esset non minus Magistratus, si potestas imponendi juramentum religionis ei tribueretur. Resp. (1.) Distingvendo inter dominium θεοπο-  
τικόν & πολιτικόν. Illud est, quando quis alterum ad obe-  
dien-